



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

5. An fideles Ordinarij teneantur explicire scire, & credere Mysterium Circumcisionis Christi, aduentus Magorum, missionis Spiritus Sancti, Communionis Sanctorum, & omnia Ecclesiae Sacramenta? Et an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

præcepti dilectionis. Tempore contritionis, & martyrij solum per accidens requiritur Dei dilectio, scilicet ratione iustificationis, aut præparationis ad illam, aut ad ipsum martyrium. Pro beneficiis acceptis directe solum est obligatio gratitudinis, quæ sine actu amoris potest exhiberi. Quando contra blasphemantes defendere oportet Dei honorem (quoad confessionem fidei externam pertinet) non est sub periculo peccati necessarius actus charitatis Dei, ut nec quoad proximum est diligendus, necesse est actu elicere Dei dilectionem. Hæc Syluius in 2.2.q.44.art.6. queritur reu. id.

7. Verum extra hos casus per accidens possumus obligari ad dilectionem Dei. Primò, quando grauem tentationem non possumus vitare, nisi diligendo Deum. In tentatione verò odij Dei obligamur per se lege charitatis illum diligere. Secundò, quando opus est administrare aliquod Sacramentum, nec possumus confiteri. Ita Coninch. disp. 2.4. dub. 3. concl. 3. num. 54. Hartadus ubi supra, & alij.

RESOL. IV.

An hodie explicita Fides Incarnationis Christi, & Sanctissime Trinitatis sit adultis necessarium medium ad salutem? Ex part. 3. tract. 5. Misc. 1. Resol. 46.

§. 1. Hic casus solet affligere Confessarios circa homines rudes. Affirmatiuam sententiam docet communiter, vt Lorca in 2.2.q.2.art.8. disp. 22. membr. 2. n. 4. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. c. 2. concl. 6. Valentia 10.3.q.2. punct. 4. & 5. Molina in 1. part. q. 1. art. 1. disp. 2. Malderus in 2.2.D. Thome. q. 2. art. 8. Acosta de proc. Indor sal. lib. 5. c. 3. & 4. Becanus in 2.2.c.12. q. 3. concl. 3. Tannerus & Layman ubi infra, & alij penes ipsos. Et ratio est, quia alioquin sequeretur, vt obseruat Syluius in 2.2.D. Thome. q. 2. art. 7. concl. 6. posse nunc temporis aliquem saluari in lege Moisaica, vt si Iudæus inuincibiliter ignoret fidem Euangelicam, & seruet legem Moisaicam, quæ implicite continet fidem Christi.

2. Sed mihi contraria sententia probabilis etiam videtur cum Tannero in 2.2.D. Thome. disp. 1. q. 7. dub. 2. n. 4. & Layman in Theol. mor. lib. 2. tract. 1. c. 8. n. 5. & absolute illam docent Sorus in 4. disp. 5. q. unica, tract. 2. Villalobos in summa. 10.2. tract. 1. diff. 3. n. 6. & 7. Medina in instruct. lib. 1. c. 14. §. 2. Sa. verb. fides. n. 1. Turrianus in 2.2.10.1. disp. 27. dub. 4. & 8. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia inter Christianos inueniuntur homines adeò rudes, vt mysteria Incarnationis, ac Sanctæ Trinitatis vero conceptu non apprehendant, & consequenter non credant explicitè. Idem solet euenire cum mutis & surdis à natiuitate. Ab iis verò mysteria Trinitatis, & Incarnationis vero conceptu apprehendi, & credi, vix credibile est, nisi ad miracula confugiendum sit, vt de Azorius 10.1. lib. 8. c. 6. q. 6. Si quis ob ingenij hebetudinem Trinitatis articulum nequeat percipere, satis esse si credat explicitè alios clariores, nimirum Christum Filium Dei natum ex Virgine, passum, cruci affixum, &c. Hosius in confess. fidei. c. 2. sic asserit, distinctionem personarum, & unitatem substantiæ, si qui sunt radiiores, quamuis comprehendere possint, non est adeò necessarium ad salutem omnibus explicitè credere, vt si quis minus hæc fuerit assequutus, de eius salute dubitandum sic. Ita ille.

3. Notandum est tamen cum Tannero ubi supra n. 49. stando etiam in prima opinione, & tenendo fidem explicitam nunc post promulgationem Euangelij esse necessariam necessitate medijs, quod si aliqui sūt adeò rudi intellectu, vt ea mysteria sub propria aliqua notatione concipere nullo modo possint, tunc supradicti rudes, quoad hanc rem cum infantibus, ac fatuis comparandi erunt. Neque enim credibile est, Deum à quo-

Tom. VI.

quam exigere maiorem cognitionem, quam per vim intellectus ipse consequi possit. Ita ille, vnde apparet, quàm bonus Deus iis qui recto sunt corde. Et ex his Confessarij à multis scrupulis immunes erunt, & multas conscientias afflictas sedabunt. Vide etiam Sanchez in summa. 10.1. lib. 2. c. 3. n. 18. & 23. ubi docet, quomodo dicantur rudes explicitè credere, etiam si substantiam articulozum percipere nequeant, & pro consolatione rudium Syluius in 2.2.q.2. art. 8. concl. 8. sic asserit. Si quis adeò sit hebes, vt huiusmodi mysteria retinere non possit, excusabitur à præcepto, & si credat, quomodo potest ea, quæ diximus necessaria necessitate medijs saluus esse poterit.

RESOL. V.

An fideles ordinarij teneantur explicitè scire & credere mysterium Circumcisionis Christi, aduentus Magorum, missionis Spiritus Sancti, communionis Sanctorum, & omnia Ecclesia Sacramenta?

Et an obligentur fideles explicitè scire, & credere Matrem Dei Virginem post partum, ac perpetuò mansisse, & creationem mundi esse in tempore, & non ab æterno? Et an peccent mortaliter, vel tantum venialiter, adultè Symboli Apostolici formam, sub verbis præceptis memoria non tenentes?

Idem dicendum est de Decalogo, & Oratione Dominica, de Ave Maria, dummodo eorum substantiam sciant, & intelligant.

Et quid, si nesciant se signare signo Crucis? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 48.

Per se loquendo mysteria Circumcisionis, aduentus Magorum, & missionis Spiritus sancti non esse explicitè credenda docent Tannerus in 2.2. disp. 1. q. 7. dub. 3. n. 68. Suarez tract. de fide disp. 13. sect. 4. n. 3. & alij, quidquid in contrarium asserant Lorca in 2.2.q.2. art. 8. disp. 33. membr. 1. n. 10. & Syluius in 2.2.q.2. art. 8. concl. 8. cum alijs. Et idem ignorantes supradicta mysteria non peccare mortaliter docet Coninch. in 2.2. disp. 14. dub. 10. n. 190.

2. Quoad Sanctorum communionem, quia huius rei cognitio non videtur ita necessaria scitu, & videtur habere maiorem subtilitatem, cum etiam docti disputent in quibus rebus hæc Communio consistat, negatiue responderet Villalobos in summa. 10.2. tract. 1. diff. 4. n. 3. & Coninch. in 2.2. disp. 14. dub. 10. n. 189. licet affirmatiuam sententiā doceat Turrianus in 2.2.10.1. disp. 28. dub. 1. & Tannerus etiam in 2.2. disp. 1. q. 7. dub. 3. n. 70.

3. Quoad Sacramenta respondeo, omnes explicitè scire debere substantiam, & rationem Sacramentorum non omnium, sed Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ; in cæteris verò idem opus erit, si quando ea suscipere quis voluerit. Ita Villalobos in 2.2. tract. 1. diff. 4. n. 4. Tannerus in 2.2. disp. 1. q. 7. dub. 3. n. 72. Suarez de fide disp. 13. sect. 4. n. 12. Sanchez in summa. 10.1. lib. 2. c. 3. n. 9. Malderus in 2.2.q.2. art. 7. dub. 2. n. 51. & alij contra Lorcam in 2.2.q.2. art. 8. disp. 23. membr. 1. n. 19.

4. Notandum est etiam cum Suarez tract. de fide, disp. 13. sect. 4. n. 9. esse probabilem opinionem multorum, asserentium non obligari fideles explicitè scire, & credere Matrem Dei Virginem post partum, ac perpetuò mansisse, licet contrarium probabilis sit; aduertit etiam Suarez n. 6. contra Bannez, quod non tenentur fideles explicitè credere creationem mundi fuisse in tempore, & non ab æterno.

5. Et tandem nota contra Syluium in 2.2.q.2. art. 8. c. 1. de la Cruz in direct. part. 1. art. 1. dub. 1. concl. 2. Palatium in 4. disp. 15. disp. 9. Nider in summa. præc. 1. c. 13. & alios, non peccare mortaliter, sed tantum venialiter, adultos Symboli Apostolici formam, sub verbis præ-

Sup hoc leges duas Rel. sequentes.

A 2

ceptis

ceptis memoria non tenentes. Idem dicendum est de Decalogo, de oratione Dominica; dummodo eorum substantiam sciant, & intelligant, & à fortiori de *Aue Maria*. Ita Layman in *Theol. moral. lib. 1. tract. 1. c. 9. n. 4.* Suarez *sect. 5. n. 8.* Tannerus *n. 67.* Coninch. *n. 194.* & alij DD. *ubi supra.* Et sic etiam non esse peccatum mortale, sed veniale nescire se signare signo Crucis, docet Sanch. in *summ. tom. 1. lib. 2. c. 3. n. 14.* licet contrarium doceat Angelus, Tabiena, Syluester, Armilla, quos citat, & sequi videtur Villalobos in *summa, tom. 2. rr. 1. diff. 4. n. 12.* sed non obstante, quod supradicta sint probabilia, suadendi tamen sunt fideles, ut illa omnia explicitè sciant, & memoria retineant.

RESOL. VI.

Multi licet sciant quoddam substantiam Symbolum, Decalogum, & Orationem Dominicam, nesciunt tamen memoriter, & eo ordine, quo proponuntur addiscenda, quare an peccent mortaliter? Ex p. 2. rr. 16. & Misc. 2. Ref. 12. alias 14.

^{sup hoc in}
^{in. prae-}
^{vi. &}
^{etiam}
^{eq.}
§. 1. **A**ffirmatiue respondet Farinacius, de *haeresi, q. 179. §. 5. n. 8.* quem sequitur Antonius Naldus in *summ. verb. Christianus, n. 1.* & probat ex usu præceptum vrbium, in quibus Confessarij, & periti omnes rerum Ecclesiasticarum, in dubio reputant eiusmodi præceptum obligare sub mortali, & propterea absolutio sacramentalis soler eis denegari, qui prædicta memoriter non tenent; & in plerisque Synodis diocesanas cauetur, ne prædicti admittantur ad matrimonium, neque ad leuandos pueros de sacro fonte baptismatis. Hæc Naldus.
2. At mihi contraria sententia prorsus placet, quam tuctur Azor. in *summa, tom. 1. lib. 8. c. 7. quaest. 5.* Sanchez in *summ. tom. 1. lib. 2. c. 3. n. 19.* & præter DD. quos ipse citat, docet etiam hanc sententiam Martinus Bonacina *rr. de legibus, disp. 3. q. 6. punct. 2. n. 14.* & nouissimè P. Suarez *rr. de fide, disp. 1. sect. 5. n. 8.* ubi asserit: Certum est, non esse obligatiorem grauem retinendi memoria verba Symboli, vel præceptorum, ita ut sit peccatum mortale hoc omittere. Et ratio esse potest, quia vel de præcepto non satis constat, quia nec ab aliquo Pontifice, nec in aliquo Concilio generali latum inuenitur, vel quia alij Canones, qui de hoc loquuntur, de substantia mysteriorum sufficienter intelliguntur, vel certè, quia materia illa leuis est, si præcisè in verbis, vel in eorum ordine sistatur. Probabile autem est, si ex pura negligentia hoc omittatur, non carere aliqua culpa saltem veniali, quia præter Canones, qui hoc insinuant iuxta communem usum Ecclesie, talis negligentia censetur aliquo modo culpabilis, & in aliis aliquando scandalum generat. Si verò quis meliorem diligentiam adhibeat, & nihilominus ob naturalem defectum, vel incapacitatem verba retinere non possit, facillè poterit ab omni culpa excusari. Ita ille. Et sic etiam hanc opinionem docuit Vincentius Filliucius in *qq. mor. tom. 2. tract. 2. c. 2. n. 37.* qui citat Nauarrum in *manuali c. 11. n. 22.*

RESOL. VII.

An detur præceptum, ut memoria teneamus Orationem Dominicam, & quid de Salue Regina, & Salutatione Angelica?

Et cursum docetur, quod nullum datur præceptum, nec naturale, nec Diuinum, nec etiam Ecclesiasticum de Oratione vocali priuata.

Et quid est sentiendum de consuetudine salutandi Virginem, quando publicum signum datur in principio noctis; an tunc cadat sub peccato saltem veniali talis oratio, & Saluatio? Ex p. 10. rr. 16. & Misc. 6. Ref. 45. alias 44.

§. 1. **O**voad Orationem Dominicam affirmatiue respondet Ioseph Rocafull. in *praxi Theolog. mor. tom. 1. part. 2. lib. 4. de Oratione in speciali disp. 1. c. 1. n. 5.* ubi sic ait: Nota quoddam tenere, oportere memoria tenere, alios non oportere memoriter tenere orationem Dominicam ordine, quo propofita est. In hac questione dico primò, non esse iuris naturalis memoria tenere orationem Dominicam: licet enim iure naturali debeamus precari Deum, non tamen est de iure naturali certa, & præscripta formula uti ad Deum obsecrandum. Dico secundò, neque esse de iure Diuino memoria tenere. Patet, quia non constat de isto iure. Dico tertio, esse præceptum Ecclesiasticum memoria tenendi orationem Dominicam: Constat (quidquid dixerit Azorius) ex c. *Vos ante omnia de consecrar. dist. 4.* ex Concilio Moguntino c. 45. ex Concilio Foroliuensi sub Carolo, & Pepino, Toletan. 4. c. 9. & hanc sententiam tenent Angelus, Syluester, Tabiena, Armilla *verb. Fides.* Hucusque Rocafull.

2. Sed mihi placet opinio Azorij, & aduersus Rocafull. Theologum Valentinum, alium Theologum Valentinum non minus doctum oppono, & is est Egidius Trullench. in *Decal. r. 1. lib. 1. c. 7. dub. 10. n. 4.* ubi ita asserit: nullum datur præceptum, nec naturale, nec Diuinum, nec Ecclesiasticum de oratione vocali priuata. Suarez *lib. 3. de Orat. c. 7. a. n. 3.* & alij: non naturale, quia præceptum naturale orandi satis impletur per orationem mentalem; nec Diuinum, quia tale non reperitur, nec in veteri, nec in noua lege; & Matth. 6. Cum Christus docuit nos orare: non habetur præceptum vllum quoad singulos fideles præferim, & si sola mète dicatur, satis est præcepto Diuino de oratione priuata. Quod autem nec detur præceptum Ecclesiasticum probabilius esse existimat Suarez *infra*; non enim est, ait Suarez, præceptum ut memoria teneamus orationem Dominicam, sed tantum, ut sciamus substantiam & materiã illius. Nec vllibi habetur præceptum recitandi orationem Dominicam: si enim Ecclesia id præcepisset, etiam determinasset tempus illius recitationis, quod non fecit; vnde alij quotidie, alij vno tempore, alij verò alio ex deuotione recitant. Itè à fortiori dicendum est de Salutatione Angelica, vel *Salue Regina*, nec tenemur recitare Salutationem Angelicam etiam tempore, quo publicum signum datur in principio noctis, & omisso nullum esset peccatum, nisi interueniret scandalum, vel contemptus. Ita Trullench. cui ego libenter adhæreo. Vide etiam Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 3. de Oratione vocali, c. 6. n. 6.* qui respondet ad loca Conciliorum adducta à Rocafull. pro sua sententia. Dicendum est itaque, non extare præceptum Ecclesiasticum recitandi Dominicam Orationem, & signum optimum est, quia præceptum Ecclesiasticum affirmatiuum non solet imponi sine certa tēporis determinatione: nullum autem est ab Ecclesia determinatum tēpus, pro quo sit necessarium fidelibus omnibus priuatim dicere, *Pater noster*, sub reatu culpæ; si illud amittunt, ergo. Vnde Clemens in citato loco monet quidem fideles, ut ter in die hanc precem fundant, nullus autem dicit, hoc cadere sub præceptum, tantum ergo est illa optima monitio, & consilium. Quare nec dici potest, hoc præceptum esse consuetudine introductum: tum quia, ut consuetudo inducat obligationem, necessaria est aliqua vniformitas, ut materia obligationis sit certa: hic autem nulla est vniformitas; vnus enim orat hoc tempore, alius alio, vnus rarius, alius frequentius, vnde constare non potest, quando obligat talis consuetudo; tum maxime quia in particulari, & in indiuiduo nullus dicit illam Orationem, ut obligatus, nisi qui tenentur eam dicere ex præcepto Ecclesie, ut Ministri eius, vel si dicat ex voto, vel speciali præcepto sui Confessoris, vel Superioris; ergo reliqua consuetudo est ex sola deuotione voluntaria,